



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

De contractu emptionis frumenti celebrato inter Massarium, & Mercatorem
anticipato pretio in Sicilia & Apulia passim usurpato.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

constitutum; nec potest, quando intercedit multum
temporis, aliquid plus accipi. Ita idem *ibid.* n. 12. Ra-
tio est, quia tunc clarè illud plus acciperetur eo solam
dilationem temporis, quae est ipsamet usura. Exemplo
rem clariùs intelliges: Antonium emit mense Ianuarij
lanam, vel frumentum consignandum mense Augusti.
At Caesar emit mense Maij eiusdem anni eandem lanam,
vel frumentum consignandum eodem mense Augusti.
Dico idem debere esse pretium pro utraque emptione;
Ratio est iam dicta, quia si Antonius acciperet plus,
quam Caesar, ad dilationem temporis acciperet, quod
est usurarium, cum alium titulum non adesse suppona-
mus: Et ex alia parte eadem merx eodem pretio valet
eodem illo tempore Augusti.

9. Massarium appellamus, cum, qui à suis segetibus frumentum expectat, & ad huius similitudinem, etiam eos omnes, qui vinum, legumina, lina, fericum, & similes fructus collecturi sunt. Quoniam autem hi tempore hyemis pecunia ad colendos agros indigent, eas à Mercatoribus, vel aliis accipiunt, vendendo isdem res prædictas suo tempore colligendas, eodemque tempore confignandas; & quidem ante multos annos ipsi contrahentes cõveniebant de pretio iuxta ea, quæ paulo ante à num. 2. dicta sunt: sed quoniam plures hinc exoriebantur fraudes, lata fuit lex, quæ cavet, ne arbitratu contrahentium eiusmodi pretium dedereretur, sed emptiones eiusmodi fient eo pretio seu taxa (quam Metam appellamus) quæ post fructuum collectionem à publico Magistratu statueretur; esto, possent ementes numerare Massarii anticipatæ pecuniam in computum. Hac meta solet statui aliquantò minor, quàm sit pretium currens tempore messis, & certè statuitur iuxta pretium infimum, quod currit eo tempore. Id, quod fit in favorem eorum, qui anticipatæ pecuniam, vel alias res dederunt in computum Massario: nam propterea, qui hac negotiatione utitur, dicitur acquirere lucrum metæ. Non nego in favorem aliquando Massariorum, ne ij propter multas eo anno expensas, in colligendis frumentis factas, vel propter quod simile, plurius aggravaverunt, Metam non ad eam minorem, ut dictum est Constitui, cum Mercatoribus tunc satis provisum iudicaret, si illo lucro potiantur, quod dicam mox num. 12. fine.

11. Formula

11. Formula autem huius contractus Massarij ad Mercatorem, in hunc ferè modum vulgò celebrari solet in Sicilia: *Titius nunc mense, verbi gratia, Ianuario vendit Caio mensuras sexaginta frumenti, vel vini, hordei, &c. quas idem Titius se obligat consignaturus eidem Caio tali determinato die (pone exempli gratia, decimo quinto Augusti) Nisi consignet, se obligat ad resarcienda omnia, & singula damna, expensisque ad maius pretium, hoc est, se obligat solvendum, quanti dicta frumenta valuerunt à tempore mora in aliam in toto anno sequenti. Aliquid pro pretio, quod erit, iuxta metam frumenti per Officiales solitis statuendam. Prædictus autem Titius scietur, de prædicto pretio, se habuisse à Caio uncias nonaginta, hac communi conventionione, ut promulgata metâ, consignatisque suo die frumentis, qui supplere debebit, suppleat alteri in frumento, vel in pecunia (intellige respectivè, hoc est, Massarius in frumento, emptor in pecunia:) Hactenus Formula. Aliquando ponitur in Massarij favorem, ut ipse supplere, quod debet, possit, vel in frumento, vel in pecunia.*

12. His explicatis, certum sit eiusmodi contractum absolute, nisi aliqua inficiatur circumstantia extrinseca, licitum esse. Ita Diana part. 1. tract. 8. resolut. 16. Ratio est, tum quia non est præsumendum prædictam Pragmaticam maturo latam consilio esse iniustam tum quia hic cum sit contractus venditionis, & emptio- nis sub legitimo pretio, deque rebus vulgò venalibus, non apparet, unde iniustus ex se censendus sit. Nam quamvis Mercator solet aliquid per huiusmodi emptionem lucrati: lucratur tamen iuste, quia emit frumentum illo determinato pretio meræ, quod communiter est minus, quam sit illud, quo Mercator in sequenti hyeme deinde revendet. Emere autem minoris, ut cario- re pretio vendas, illicitum non est.

13. Illud hinc video inquiri posse, An adhuc liceat, Siculo more aliorum hunc contractum celebrare independentem à metâ, hoc est, determinato pretio, quod erit communiter tempore consignationis, vel alio modo ex dictis §. 7. à num. 2. Cui quaesito respondeo, præcisè omnibus fraudibus, in conscientia licere: nam quamvis obstat prædicta lex, in qua vocantur etiam Rei, Notarij suam operam locantes contrahentibus aliter, quam ex dicta Pragmatica; tamen quia lex tota fundatur in præsumptione fraudum, & usurarum: videtur illa ex Diana p. 3. tract. 5. res. 115. solum esse pro foro externo, id enim ostendunt ea verba Pragmaticæ (sua conscientia rationem non habentes) & illa (nullo prætextu presumant) &c.

An Massarius possit cogi ad dandum frumentum?

14. Iam verò multæ sunt circa prædicta practicæ difficultates enodandæ. Prima Difficultas: Si consignare frumentum (idem hic, & in consequentibus difficultatibus intellige de cæteris fructibus) nollit suo die Massarius, sed pretium dare vellet, possitne Mercator hoc recusare, & illum cogere ad frumentum promissum consignandum? Respondeo posse, quia Massarius frumentum vendidit, imò tamen in contractu illa fuisse scripta Clausula (Massarius solvet in frumento, vel pecunia) adhuc is obligatur primo loco ad frumentum, posito enim, quod hic contractus sit meræ frumenti venditio (secus esset purum mutuum, unde illicitum lucrum meræ extorqueretur) sensus illius clausulæ est, ut solvatur pretium in eo casu, quo frumentum omnino desit.

15. Quando autem Massarius pretium frumenti dat (id, quod consentiente Mercatore fieri per se solet, non verò cogente, quia Mercator non habet ius, nisi ad rem sibi venditam, hoc est ad frumentum) quando, inquam, dabit pretium, dabitne illud, quod vulgariter currit tempore collectionis, quo tempore frumentum erat consignandum, an aliud, quod erit per metam? Respondeo, debere dari vulgariter currentes in maiori

parte temporis collectionis, quamvis aliquanto solet esse, quam quod ponitur per metam. Ratio quia si Mercator habuisset frumentum sibi promissum illud tali pretio vulgari vendere potuisset: poterit ergo ille à Massario exigere quantum sibi frumentum valuit eo tempore, quo culpa sua Massarius non consignavit, hoc enim vocatur, & est lucrum præcipuum, quod, quod lucratus potissimum intendunt Mercator cum ergo sibi valuisset pretium currentes tempore collectionis, hoc sine iniustitia exigere poterit.

An rescindi possit hic contractus?

16. Secunda Difficultas: Inito prædicto contractu inter Massarium, & Mercatorem multò ante collectionem frumenti, verbi gratia, mense Ianuarij, data autem pretij parte, potestne intermedio tempore ante collectionem, verbi gratia, mense Maij Mercator rescindere suam pecuniam à Massario: & rescindere contractum, atque ob eius rescissionem aliquid lucri ab eodem Massario exigere? Respondeo, id debet resolvi inter aliorum contractuum rescissiones, ut nimirum ille aliorum solvat, in cuius gratiam suo iuri cedit alter: (contractus in merito videtur esse in simili Azor. p. 3. lib. 1. cap. 11. de cambiis, quest. 3.) Quare si in casu nostro rescindat, Mercator petente, & in eius gratiam, nihil perit Mercator exigere, imò debet Massario aliquid prudentis arbitrio tradere, iuxta id, quod valet cessio. Quod si fiat, petente Massario, & in eius gratiam, poterit Mercator aliquid fumere, imò, & damnum, vel lucrum exigere, si quod illi, iuxta regulas generales traditis, emergit, vel cessat: quia tanti valet ipsi sui iuris cessio. Si denique fiat in utriusque gratiam, nihil poterit lucri ab alterutro exigi, quia utriusque beneficium compensatur.

Augmentum frumenti cuius est?

17. Tertia Difficultas: Augmentum, quod solet habere frumentum in horreo, cuius est, Massarij, an Mercatoris? Respondeo, eiusmodi augmentum à die collectionis eius, usque ad diem præfixum in contractu est Massarij, postea erit Mercatoris. Ratio est quia illud die præfixo, quod debet fieri, seu sit consignatio, frumentum transit in dominium Mercatoris, (est, motus & rationum computatio facienda sit postea) antea vero est in dominio Massarij. Cum ergo res pro Domino crescat, ante illum diem frumentum crescat pro Massario; post illum pro Mercatore. Quod si mercator, quando rationabiliter timet, ne Massarius distrahat aliud frumentum, sibi illud etiam autoritate Iudicis, sumat (quod ei ad securitatem suam tunc licite conceditur) servare debet pro Massario augmentum, quod, iudicio prudentis, deductis expensis, aestimatur esse à die, quo illud sumit, usque ad diem præfixum in contractu: quia hoc Massarij est, ut diximus, non Mercatoris.

An possit statui certa quantitas frumenti?

18. Quarta Difficultas: Licitne celebratur hic contractus, determinando mensuras fructuum consignandas? Id enim videtur reprehendere lex allata num. 10. Respondeo, illicitè celebrari putant nonnulli propter prædictam legem; Adde, quia possent determinari mille mensuræ, & solum anticipatò dari decem, vel viginti aurei, prætextu pacti, quo, qui deinde debet supplere, supplebit; quod profecto veretur in Massarij damnum, qui non tardè cogitur, in anno prædictum sterili, frumentum quærere tempore præfixo, ut promissas mensuras adequet. Verum, quamvis cas non determinare tutius sit, tamen si sine fraude determinetur tot mensuræ, quot prudenti iudicio videbitur adquare pretium Massario numeratum: non video, unde iniustitia committatur. Quod si Massarius